



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Vita, Et Gestis S. Francisci Xaverii È Societate Iesv Indiarvm Apostoli Libri Qvatvor

Bartoli, Daniello

Lvgdvni, 1666

34. Crucifixi effigies lignea toties sanguinem sudat, quoties Xauerius
gravius aliquid patitur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10854

omnino se incanuisse, mos illi fuit pallio non vti, sed veste discincta, & nudis ut plurimum pedibus incedere.

Audita beati Apostoli mors, navi multos exciuit ad eius tugurium, vbi oris totius habitum mirati adeo formosum, vt videretur viuenti ac beato, quam cadaueri propior, circum in genua procidunt, deosculantur venerabandi manus, nec de illius æterna gloria dubij, regnantis in cælo sibi opem implorant, pietatis intimæ repentino sensu quemvis alium præuertente. Iacuit ad horam diei Dominici decimam insepultum cadauer, ac ne tunc quidem vllò funebri ritu, nedum pompa cohonestatum est; nemo funebre illi humanitatis officium exsoluit, præter vnum quem sæpe memini Antonium, cum nauarcho, aliisque duobus, quorum nomina excidere: solitudinis huius causam facit Scriptor quidam earum regionum, eius diei intolerandum frigus, quo prohibiti sunt Lusitani è suis castris, & navi prodire. Sed fuerit cæli aut animi frigus (quod intelligitur postea clarius) certè Deus latere noluit tanti viri iacturam nec fuisse dolendam tam leuiter, nec eius honorem tam promiscuè habendum.

Scimus sacram Christi de Cruce pendentis effigiem ligneam, Xaueriorum autem pignus, eius anni quo fato sanctus est singulis, Veneris diebus sanguinem sudasse, mox vbi viuere desit sudorem illum aruisse. Imo quot casibus & ærumnis conflictaretur vir sanctus in India, toties eandem iconem, in paterna viri sancti domo cruore vndique stillasse, consensione mutua gemini amoris, ita duos inter se copulantis, vt alter dolores alterius doleret. Quod obseruabatur à domesticis diligenter, collatis temporibus quibus sanguine madebat articulis, cum aduersorum angustiis quas passum Xauerium ex Indicis literis discebant. Humandum corpus vt mos Sacerdotum induitur; talari magna ex parte detracta & Religioso studio inter sepelientes disiecta, quorum vnus præmium operæ Franciscus Aghiarus nauarchus, calceum sibi sumpsit, eoque se tantopere iactauit vt inde cognomentum à caliga siue ab ocrea duxerit, & poscebat sanè grati animi ratio, vt destituto officii omnibus viro sancto manus commodaret, eiusque memoriã pignore aliquo seruato perpetuam coleret, duo enim illi vaticinatus fuerat beatus Apostolus, vt eius artis hominibus sat rara, sic multum optanda, nunquam futurum vt egeret, nunquam vt in mari periret. Indutum Georgius Alvarez capaci vt Sinæ assolent, claudendum curat sarcophago, quem viua calce multa referciit vt laxante se anno ad reditum eros carnibus, nuda secum in Indiam ossa reueheret. Locum tumulo delegit collem è portu modice assurgentem, ad cuius radices mercatorum nauigia ferè applicabant. Illic medio in pratulo crux erat lignea quam Lusitani defixerant, ab hac spatio breui in effossa humo sacrum funus deponunt, ac ne vnquam illius intercideret memoria, struem prægrandium lapidum ad caput, & pedes, monumentum illi constituunt.

Tertio ab hinc mense, navi ad reditum accincta, Præfecto insinuat Antonius à S. Fide, de tollendo secum in Indiam beato pignore, mittit

Præ

34

Crucifixi effigies lignea toties sanguinem sudat, quoties Xauerius grauius aliquid patitur.

35

Trimestri calceiua sepulcrum cadauer integrum præfertur.